



7599.

23
14

JOANN. PHILIPPI TREIBER
J. U. D. QUONDAM IN ACADEMIA ERFORDENSI
NEC NON REGIMINIS ELECTORALIS MOGUNT.
ADVOCATI CELEBERRIMI

DISQUISITIO JURIDICA

1707,8

DE

DIFFERENTIA INTER
TER QUATUOR ET
QUATUOR TRIA,

2

Vom Unterschied

21

Zwischen drey-mahl Biere und
viere-mahl Dreye,

IN CATHEDRA ACADEMICA OLIM DEFENSA,
NUNC VERO OB MATERIÆ RARITATEM ET UTILITATEM
RECUSA.



HALAE MAGDEBURGICAE,
LITTERIS IOAN. CHRIST. GRUNERTI, ACAD. TYPOGR.

1748.

(2)

IOANN PHILIPPI TRIBER
A. U. D. QUONDAM IN ACADEMIA ERORDINAT
MRS. NON. RABINUS ELECTORIS MOGUNT
ADVOCATI C. C. ERORDINAT

DISQUISITIO JURIDICA


DE

DIFFERENTIA INTER
TER QUATUOR ET
QUATUOR TRIA

DEI

Quintus deinde spiritus
etiam deus

IN CATHEDRA ACADEMICA OLIV. DRESEN.
NON. VERO ORATIONE P. R. C. A. T. A. T. I. A. D. I. L. L. E. N. A.



1778



THESIS I.

TEr quatuor sunt tres trientes;
quater tria sunt quatuor qua-
drantes.

§. I. Ad cognoscendam & demonstrandam hanc thesin, conducit doctrina de Assē & unciis, ex *Tit. Inst. & ff. de Hæredib. Instit.* quo apprime faciunt verba §. 5. *Inst. d. t.* quæ desumpta ex legis 50. §. 2. *ff. d. t.* & hæc sunt: *Hæreditas plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ Assis appellatione continentur. Habent autem & hæ partes propria nomina, ab uncia usque ad Assē, hæc: sextans, quadrans, triens, quincunx, semis, septunx, bes, dodrans, dextans, denx.* conf. l. 13. §. 1. ff. eod.

§. II. Ex quibus elucescit: quod *As*, in materia successionis, designet *totam hæreditatem in*

duodecim partes divisam, prout alias, & generaliter acceptum vocabulum *Affis*, denotat *quodvis integrum in duodecim partes dividuum*; Plinius. Et: quod *uncia* significet *unam* ex duodecim *affis* partibus, nimirum *duodecimam*; *sextans* autem sit sexta pars *affis* seu hæreditatis, *binas* uncias continens: *quadrans* quarta pars, *tres* uncias comprehendens; *triens* tertia pars, *quatuor* uncias complectens; *quincunx* sit pars, *quinque* uncias, seu *quinque* ex portionibus *duodenis* includens; *semis* sit pars *dimidia* hæreditatis, *sex* uncias involvens; *septunx* sit pars, *septem* uncias, seu *septem* ex portionibus *duodenis* importans; *bes* sit pars, *octo* unciis constans; *dodrans* sit pars, *novem* unciis absoluta; *dextans*: pars, in *decem* unciis; *deunx*, pars, in *undecim* unciis consistens.

§. III. Estque in his terminis, seu vocabulis, ratio appellationis ista: *Quinque* illorum, nimirum: *Sextans*, *Quadrans*, *Triens*, *Semis*, *Bes*, exprimunt numerum *partium totius*, sicut dictum est; puta: *Sextans* dicitur quasi sexta pars *affis*; nam *sexies* duo conficiunt 12. *Quadrans*, quasi quarta pars, quoniam * *quater tria* fiunt *dodecim*; *Triens*, quasi tertia pars; quandoquidem * *ter quatuor* duo-

duodecim constituunt. *Semis*, seu *semiffis*, quasi femi as, vel femi assis. Etenim bis sex etiam faciunt duodecim. *Bes*, quasi bis tries vel triens. Duo enim trientes, seu bis quatuor, faciunt octo partes seu uncias. *Duo* vero illa vocabula: *Quincunx* & *Septunx* exprimunt *partes partium*, seu numerum unciarum, quot illarum nempe contineant. Reliqua tria innuunt, quot uncia ipsi desint, quo minus assen expleant. Et ita priora, seu ante memorata, sunt *positiva*, posteriora vero, seu jam memoranda, *privativa*; ut: *Dodrans*, quasi: deest quadrans; ubi enim novem tantum sunt partes, ibi deest quarta pars assis. *Dextans*, quasi: deest sextans; positus quippe decem tantummodo partibus, seu unciis, deficit sexta pars Assis, id est duae unciae. *Deunx*, quasi deest uncia; Existentibus enim tantum undecim unciis, abest ex asse uncia. Quae tria posteriora vocabula quae ideo sunt obscuriora, quod extremas saltem syllabas habent compositionis. *Varr. Scal.*

§. IV. Jam ponamus Summam 1200. Imperialium, velut Assen; tunc una, & quidem duodecima pars, seu *uncia*, comprehendit 100. Imperiales. Duae partes, seu *sextans*, compre-

prehendit 200. Tres partes, seu *quadrans*, 300. Quatuor partes, seu *triens*, 400. Quinque partes, seu *quincunx*, 500. sex partes, seu *semissis*, 600. Septem partes, seu *septunx*, 700. Octo partes, seu *Bes*, 800. Novem partes, seu *Dodrans*, 900. Decem partes, seu *dextans*, 1000. Undecim partes, seu *Deunx*, 1100.

§. V. His præcognitis, facile pervisum est: quod *ter quatuor* sint tres trientes, & *quater tria* sint quatuor quadrantes. Supposita enim summa 1200. Imperialium, *ter quatuor* sunt ter 400. & *quater tria* sunt quater 300. At vero 400. sunt triens, seu tertia pars assis, scilicet 1200. imperialium; 300. autem sunt quadrans, seu quarta pars assis. Fingamus ergo mortuos Testatores *Ænean* & *Anchisen*, & utrumque heredes instituisse, *nullis partibus nominatis*; *Ænean* tres heredes, *Anchisen* quatuor; utrumque etiam reliquisse summam 1200. Imperialium; tunc, quia his casibus inter se tres *Æneæ* hæredes, & inter se quatuor *Anchisæ* hæredes ex æquis partibus succedunt, *arg. §. 6. Inst. de hæred. Inst. & l. 9. §. 12. ff. eod.* & proinde priori casu summa 1200. Imperialium in tres trientes, posteriori vero casu in quatuor quadrantes dividenda; sane priori casu

casu dicendum est: *Ter quatuor sunt duodecim*, ut ita portio hæreditaria uniuscujusque ex tribus Æneæ hæredibus sit *triens*, seu 400. Imperiales; posteriori vero casu dicendum est: *Quater tria sunt duodecim*; ut hoc modo portio hæreditaria cujuslibet ex quatuor Anchisæ hæredibus sit *quadrans*, seu 300. Imperiales. Sunt ergo, & constituunt *ter quatuor*: tres trientes, quoties tres adsunt æqualiter succedentes; *quater tria* vero: quatuor quadrantes, quoties quatuor adsunt hæredes, qui æquales partes capiunt.

§. VI. Præterea thesis nostra illustrari potest iis casibus, quos suggerunt *lex 9. §. 15. & lex 14. ff. de hæredib. instit.* In prioris enim legis d. §. 15. dicitur: *Si quis primum ex triente, secundum ex triente hæredem instituerit, & si secundus hæres non erit, tertium ex vesse scribat: hic, secundo repudiante, vesse habebit non solum jure substitutionis, sed & institutionis; id est trientem jure substitutionis, trientem jure institutionis.* Iam, si As hæreditarius etiam hoc casu sint 1200. imperiales, tunc, si ve *secundus* existat hæres, si ve non, dividenda est hæreditas in tres trientes, adeoque dicendum est: *ter quatuor sunt duodecim*;
ut

ut ita *tertius*, dum *secundus* existit hæres, acquirat unum trientem, nempe 400. Imperiales; quando vero hic repudiat suam partem, tunc ille sortiatur duos trientes seu bessem, nempe 800. Imperiales, & propterea etiam hoc casu *ter quatuor sint tres trientes*. In posteriori vero lege proponuntur sequentia: *Siquis hæredes ita instituit: Titius ex parte prima Sejus ex parte secunda, Mævius ex parte tertia, Sulpitius ex parte quarta hæredes sunt: æque partes hereditatis ad institutos pertinebunt: quia testator, appellatione numeri, scripturæ magis ordinem, quam modum partibus imposuisse videtur*. Hoc est: ex parte prima, secunda, tertia, quarta, hæredem institui, non est ex una uncia, vel duabus, tribus vel quatuor unciiis hæredem institui, sed ex partibus æquis tantum: Nemo enim plus juris habet ex eo, quod prior sit nominatus. *Bald.* Ponamus ergo & heic: Massam hereditariam esse 1200. quam ob rem ea dividenda erit *in quatuor quadrantes*, atque dicendum: *Quater tria sunt duodecim*; & hac ratione quilibet illorum quatuor hæredum acquirit unum *quadrantem* nempe 300. ut ideo tali casu *quater tria sint quatuor quadrantes*.

THE-

THESIS II.

TEr quatuor ergo non sunt tres quartæ, sed tres tertię. Et quater tria non sunt quatuor tertię, sed quatuor quartæ.

§. I. Ter quatuor enim distribuunt totum in tres partes, quater tria vero partiuntur totum in quatuor partes. Sicut autem tres partes, in quas totum divisum est, sunt tres tertię; ita quatuor partes, in quas distributum est integrum, sunt quatuor quartæ; per superius demonstrata, & *allegat. text.*

§. II. Et quamvis, juxta modernos mores, praxin & experientiam, Assis, unciarum & partium assis, v. g. trientis, dodrantis, sextantis, &c. in Testamentis vix aut rarissime fiat mentio, tum quod non amplius Latino Idiomate conscribuntur Testamenta, tum, quod communiter in partes naturales hodie dividitur hæreditas; tamen; *Si* & hodierno tempore summa hæreditatis sint 1200. eaque tres inter hæredes æqualiter distribuenda; sane ita computari debet illa, ut dicatur: *ter quatuor sunt duodecim.* Et hoc modo *ter quatuor* etjam de usu hodierno *sunt tres*

B

ter-

tertiæ, seu tres, in quas divisum totum, partes naturales, nempe ter 400. sicuti *tres trientes* in materia *de Assè* sunt tres partes artificiales, seu technicæ, relationem *præcise* involventes ad assèm, id est ad totum in *duodecim* partes divisum, cum ex adverso *tres tertie*, seu tres partes naturales, possint etiam esse v. g. tres partes totius, in tres, sex, novem, duodecim, quindecim, octodecim &c. portiones divisi. *Sin*, moderno seculo, hæreditas, 1200. Imperialibus constans, quatuor hæredibus æqualiter attribuenda sit: dicendum erit: *Quater tria sunt duodecim*. Et hoc pacto *quater tria* etiam de usu moderno *sunt quatuor quartæ*, seu quatuor, in quas divisum est integrum, partes naturales, nempe quater 300. sicuti *quatuor quadrantes* in materia *de assè* sunt quatuor partes artificiales seu technicæ, relationem *præcise* importantes ad Assèm, i. e. totum in duodecim partes distributum; cum e contrario *quatuor quartæ*, seu quatuor partes naturales, possint etiam esse v. g. quatuor partes totius, in quatuor, octo, duodecim, sedecim, viginti, &c. portiones distributi.

THE-

THESIS III.

TER quatuor itaque & quater tria non differunt respectu totius, quod constituunt, sed respectu partium, quas important & significant.

§. I. Ter quatuor enim pariter, atque quater tria, conficiunt *duodecim*, tanquam totum, in quo, velut effectu, ea conveniunt. Quemadmodum autem inter se distant tres tertiæ aut tres trientes, & quatuor quartæ, aut quatuor quadrantes; ita inter se differunt ter quatuor & quater tria. Quandoquidem *ter quatuor* constituunt tres tertiæ aut tres trientes, & *quater tria* fiunt atque sunt quatuor quartæ aut quatuor quadrantes; per supra deducta, & *dd. text.* Ideoque ter quatuor & quater tria differunt ratione partium, quas important.

THESIS IV.

EX superioribus præterea constat, quod *sexies duo*, & *bis sex*,
B 2 sechs-

sechsmahl zwey & zweymahl sechs, differant ut sextantes & duo semisses.

§. I. Quandoquidem sexies duo dividunt Assem in sex partes, bis sex vero in duas. Atqui sex partes Totius, seu Assis, sunt sex sextantes, & duæ partes totius sunt duo semisses.

§. II. Differunt itaque Germanis sechsmahl zwey & zweymahl sechs, in ordine ad numerum duodenarium, ut sechs sechsstheil & zwey zweythteil i. e. zwo Helfften: sicut drey mahl vier & vier mahl drey eo respectu differunt ut drey Drittheil & vier Viertel.

§. III. Quodsi ergo, exempli loco, partiendæ sint duæ hæreditates, quarum utraque 1200. imperialibus constat; altera inter duos, altera inter sex hæredes, dividenda; profecto eo casu, quo hæreditas in binas distribuenda portiones, dicendum est: *Bis sex sunt duodecim*; & hac ratione *bis sex sunt duo semisses*, seu duæ dimidiæ partes hæreditatis, ut ita bis sex sint bis 600. & alter ex duobus hæredibus accipiat semissem, seu 600. Eo vero casu,

casu, quo massa hæreditaria sex hæredibus assignanda venit, dicendum est: *Sexies duo sunt duodecim*; & hoc modo *sexies duo sunt sex sextantes*, seu sex partes Totius; ut ita sexies duo sint sexies 200. & unus ex sex hæredibus impetret sextantem, seu 200.



COROLLARIA.

- I. Etiam brutis suum est tribuendum.
- II. Species Juris sunt: necessarium & arbitrium.
- III. Nemo est sui juris, omnes sumus alieni juris.
- IV. Patria potestas est juris naturalis, jus vero patriæ potestatis est juris civilis.
- V. Etiam matris consensus de jure civili ad contractum matrimonii est necessarius.
- VI. Naturales liberi opponuntur naturalibus liberis.
- VII. Fictio juris est verum quid.
- VIII. Quidam tutor a Magistratu datus non est Dativus.
- IX. Pupillo illustri potest dari tutor plebejus.
- X. Nullus capite deminutus gaudet jure & fictione postliminii.

XI. Hodie minores inviti indistincte accipiunt curatores.

XII. Pupillus obligatur ex Contractu, quamvis prohibeatur jure contrahere.

XIII. Hodie tutores non gravantur amplius Cautione.

XIV. Paupertas non excusat a tutela.

XV. Quidam tutor ob dolum remotus non fit infamis.

XVI. Servitus constituenda neque extra patrimonium est, neque intra patrimonium.

XVII. Tegulae aedibus impositae sunt res immobiles.

XVIII. Servitus etiam sine praedio constitui potest.

XIX. Ususfructus Causalis non est ususfructus.

XX. Pignoris luitioni praescribi non potest.

XXI. Avunculus alimenta praestans donasse praesumitur.

XXII. Muliere consentiente valida est hodie alienatio rerum dotalium.

XXIII. Etiam adventitium peculium est, quod filius laboribus suis acquisivit.

XXIV. Paries intermedius vel cortina, interjecta inter testatorem loquentem & testes, vitiat testamentum.

XXV. Propter Lenocinium & Homicidium filius non potest exhæredari.

XXVI. Hodie exhæredatis impuberibus substitui non potest.

XXVII. Voluntas Testatoris contraria non infirmat testamentum.

XXVIII. Testamentum non est inofficiosum, in quo pater minus quam legitimam reliquit.

XXIX. Quicquid operatur inventarium solenne, idem operatur jurata specificatio.

XXX. Alienata res legata non semper præsumitur a testatore adempta.

XXXI. Fideicommissarius etiam gravari potest fideicommissio.

XXXII. Major effectus Codicillorum est, quam Testamenti.

XXXIII. Fratrum nepotes nunquam succedunt jure repræsentationis.

XXXIV. Necessaria est hodie bonorum possessio, si quis ex persona præteriti consentientis succedere velit.

XXXV. Hodie, in contractu innominato, qui dedit, pœnitere non potest.

XXXVI. Indebite, licet per errorem, solutum non semper potest repeti.

XXXVII. Qui in genere renunciavit beneficiis fidejussoriis, non præsumitur renunciaſſe beneficio divisionis.

XXXVIII.

XXXVIII. Non est venditio, si pecunia pro re adpendatur.

XXXIX. Inter professorem & auditorem non potest intercedere locatio studiorum.

XL. Qui minoris emit rem, non excedit fines mandati.

XLI. Nec atrocissimis injuriis verbalibus existimatio nostra lædi potest.

XLII. Hodie etiam institui potest actio Serviana contra possessores rerum in prædium Rusticum a Colono illatarum & investarum.

XLIII. Exceptio fori declinatoria opponi debet ante litem contestatam.

XLIV. Hodie Officiales ob crimen Barattariae ab officio removeri solent.

T A N T U M.



ULB Halle
002 716 64X

3



S. 6.







7599

23
14

JOANN. PHILIPPI TREIBER
J. U. D. QUONDAM IN ACADEMIA ERFORDENSI
NEC NON REGIMINIS ELECTORALIS MOGUNT.
ADVOCATI CELEBERRIMI

DISQUISITIO JURIDICA

1707,8

DE

DIFFERENTIA INTER
TER QUATUOR ET
QUATUOR TRIA,

2

Vom Unterschied

21

Zwischen dreymahl Viere und
viermahl Dreye,

IN CATHEDRA ACADEMICA OLIM DEFENSA,
NUNC VERO OB MATERIÆ RARITATEM ET UTILITATEM
RECUSA.



HALAE MAGDEBURGICAE,
LITTERIS IOAN. CHRIST. GRUNERTI, ACAD. TYPOGR.

1748.

(2)